RATIO ET VIA

divinum Officium recitandi Missamque celebrandi
juxta decretum S. Rituum Congregationis
die 23 Martii 1955 editum
de rubricis ad simpliciorem formam redigendis

RATISBONÆ
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET
S. SEDIS APOSTOLICÆ ET S. RITUUM CONGREG. TYPOGRAPHI

IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 5 Augusti 1955

v. n.

JOSEPH MEINDL

Printed in Germany

PRÆFATIO

Die 23 Martii 1955 S. Rituum Congregatio decretum generale de rubricis ad simpliciorem formam redigendis edidit, die 2 Iunii autem eiusdem anni quædam dubia circa interpretationem huius decreti exorta resolvit.

Quamvis his decretis in ratione divini officii recitandi mutationes haud paucæ inducantur, in ipso Breviario Romano tamen omnia intacta manebunt. Immo editoribus Pontificiis stricte interdicitur, ne in novis etiam editionibus parandis quidquam innovent.

Hinc necessitas nata est præsentem fasciculum conficiendi, quo ordinatim describitur, quomodo in posterum divinum officium recitandum ac Missa celebranda sit.

Atque primo quidem ex integro referuntur ipsa S. Rituum Congregationis decreta (pag. 2 et 10); deinde per ordinem edicitur, quæ in Proprio de Tempore diversis anni temporibus (pag. 12—21) necnon in Proprio Sanctorum singulis diebus (pag. 22—61) observanda sint. Additæ autem sunt duæ tabellæ, quibus facile dignoscitur, quidnam sive in occurrentia sive in concurrentia plurium Officiorum vel Festorum agendum sit (pag. 62—64).

ORDO

DIVINI OFFICII RECITANDI

SACRIQUE PERAGENDI

IUXTA CALENDARIUM

ECCLESIAE UNIVERSAE

PRO ANNO DOMINI

1961

EDIZIONI LITURGICHE - ROMA
Via Pompeo Magno, 21

LIBRERIA EDITRICE VATICANA
Città del Vaticano

1960

EDIZIONI LITURGICHE - ROMA

VIA POMPEO MAGNO, 21 - Tel. 353.114 - c/c p. 1/32.560

EPHEMERIDES LITURGICAE

Directio et Administratio: Via Pompeo Magno, 21 - Roma
Annuum consociationis pretium: Pro Italia L. 2000
Pro exteris regionibus $ 5.

Ephemerides liturgicae, commentarium scientificum et internationale de re liturgica agens, de liturgia ita ampliori sensu tractant, ut laboris perutile instrumentum sint integramque sentiendi rationem, praecipue vero conformem menti et praxi Apostolicae Sedis praebeant. Sex in anno fasciculi, 80 circiter paginis constantes, eduntur. Commentarii lingua ex officio est latina; attamen dissertationes et notae etiam linguis anglica, gallica, germanica, hispanica et italica, cum summario latine exarato, admittuntur. Singuli fasciculi sequentes rubricas excipiunt: *Dissertationes, Notas, Ius et praxim liturgicam* (Acta Sanctae Sedis, Documenta, Notas practicas, Consultationes), *Acta Pontificiae Academiae Liturgicae, Reformationem liturgicam generalem, Biblia et liturgiam, Liturgiam pastoralem, Recensiones, Notitias.* Semel in anno lata exhauriensque liturgica *Bibliographia,* in ordinem redacta, exhibetur, in qua brevibus notis iudiciisque labores liturgici alicuius utilitatis colliguntur. Commentarium, Consilio proprio redactionali, Consultoribus S. R. C. necnon romanorum Athenaeorum professoribus constante, instructum est et praecipuorum regionum doctorum virorum cooperatione utitur.

Volumina exhausta totius collectionis commentarii « Ephem. lit. » denuo impressa sunt, et acquiri possunt apud nostram Administrationem.

ORDO

DIVINI OFFICII RECITANDI

SACRIQUE PERAGENDI

IUXTA CALENDARIUM

ECCLESIAE UNIVERSAE

PRO ANNO DOMINI

1961

EDIZIONI LITURGICHE - ROMA
Via Pompeo Magno, 21

LIBRERIA EDITRICE VATICANA
Città del Vaticano

1960

DE MISSA CONVENTUALI IN FERIIS IV CLASSIS (n. 289-290)

1. In omnibus feriis IV classis, nisi aliter praescribatur, loco Missae conventualis Officio conformis, dici potest:

2. Feria II:

a) aut Missa quae respondet commemorationi in Officio diei currentis, ut singulis diebus in calendario indicatur;

b) aut Missa de Mysterio, Sancto vel Beato, cuius elogium eo die habetur in Martyrologio vel eius Appendice pro respectivis Ecclesiis approbata: Missa pr. vel de Communi, *Gloria*, comm. feriae et Sancti forte occurrentis, sine *Credo*, praef. conveniens (n. 482), *Ite, missa est;*

c) aut Missa de Ss.ma Trinitate (*alb.*), sine *Gloria*, com. feriae et Sancti forte occurrentis, sine *Credo*, praef. Trinit., *Ite, missa est;*

d) aut quaelibet alia Missa, quae tamquam votiva celebrari permittitur;

e) aut — extra tempus natalicium et paschale — si hodie est prima feria IV classis hebdomadae: Missa pro defunctis « quotidiana », cum or. *Deus, veniae largitor*, sequentia *ad libitum*.

3. Feria III:

a) aut Missa quae respondet commemorationi in Officio diei currentis, ut singulis diebus in calendario indicatur;

b) aut Missa de Mysterio, Sancto vel Beato, cuius elogium eo die habetur in Martyrologio vel eius Appendice pro respectivis Ecclesiis approbata: Missa pr. vel de Communi, *Gloria*, comm. feriae et Sancti forte occurrentis, sine *Credo*, praef. conveniens (n. 482), *Ite, missa est;*

c) aut Missa de Angelis (*alb.*): Missa pr., *Gloria*, comm. feriae et Sancti forte occurrentis, sine *Credo*, praef. conveniens (n. 482);

d) aut quaelibet alia Missa, quae tamquam votiva celebrari permittitur;

e) aut — extra tempus natalicium et paschale — si hodie est prima feria IV classis hebdomadae: Missa pro defunctis « quotidiana », cum or. *Deus, veniae largitor*, sequentia *ad libitum*.

PSALMI HORARUM
PRO FESTIS

PSALMI HORARUM PRO FESTIS

QUÆ SUOS E DOMINICA PSALMOS USURPANT

AD LAUDES

(Pater et Ave.)

℣. Deus, in adjutórium. Glória Patri. Allelúja, vel Laus tibi.

Psalmus 92 1

Dóminus regnat, majestátem indútus est, * indútus est Dóminus poténtiam, præcínxit se,

et firmávit orbem terrárum, * qui non commovébitur.

Firma est sedes tua ab ævo, * ab ætérno tu es. —

Extóllunt flúmina, Dómine, extóllunt flúmina vocem suam, * extóllunt flúmina fragórem suum.

Poténtior voce aquárum multárum, poténtior æstibus maris: * potens in excélsis est Dóminus. —

Testimónia tua fide digna sunt valde; * domum tuam decet sánctitas, Dómine, in longitúdinem diérum.

Psalmus 99 2

Exsultáte Dómino, omnes terræ; * servíte Dómino cum lætítia; introíte in conspéctum ejus * cum exsultatióne.

Scitóte Dóminum esse Deum: ipse fecit nos et ipsíus sumus, * pópulus ejus et oves páscuæ ejus.

Introíte portas ejus cum laude, átria ejus cum hymno; * celebráte eum, benedícite nómini ejus.

Nam bonus est Dóminus, in ætérnum misericórdia ejus, * et in generatiónem et generatiónem fidélitas ejus.

Psalmus 62 3

Deus, Deus meus es: * sollícite te quæro;

te sitit ánima mea, desíderat te caro mea, * ut terra árida et sítiens, sine aqua.

Sic in sanctuário contémplor te, * ut vídeam poténtiam tuam et glóriam tuam.

Quia mélior est grátia tua quam vita, * lábia mea prædicábunt te. —

Sic benedícam tibi in vita mea: * in nómine tuo attóllam manus meas.

Concordat cum exemplaribus approbatis.

Taurini, die 4 Januarii 1950.

Sac. A. Tallandini, Rev. Archiep.

Imprimatur.

C. A. COCCOLO, Vic. Gen.

Printed in Italy.

Tip. della Casa Editrice Marietti — Torino, Via Legnano 23.
Finito di stampare in Febbraio 1950.

BULLÆ ET FOLIA PRÆLIMINARIA

FOLIA PRÆLIMINARIA

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quod a Nobis postulat ratio pastoralis officii, in eam curam incumbimus, ut omnes, quantum Deo adjutore fieri poterit, sacri Tridentini Concilii decreta exsequantur; ac multo id etiam impensius faciendum intelligimus, cum ea quæ in mores inducenda sunt, maxime Dei gloriam, ac debitum ecclesiasticarum personarum officium complectuntur. Quo in genere existimamus in primis numerandas esse sacras preces, laudes, et gratias Deo persolvendas, quæ Romano Breviario continentur. Quæ divini Officii formula pie olim ac sapienter a Summis Pontificibus, præsertim Gelasio ac Gregorio primis constituta, a Gregorio autem septimo reformata, cum diuturnitate temporis ab antiqua institutione deflexisset; necessaria visa res est, quæ ad pristinam orandi regulam conformata revocaretur. Alii enim præclaram veteris Breviarii constitutionem, multis locis mutilatam, alii incertis et alienis quibusdam commutatam, deformarunt: plurimi specie Officii commodioris allecti, ad brevitatem novi Breviarii, a Francisco Quignonio tituli sanctæ Crucis in Jerusalem Presbytero Cardinale compositi, confugerunt. Quin etiam in provincias paulatim irrepserat prava illa consuetudo, ut Episcopi in Ecclesiis, quæ ab initio communiter cum ceteris veteri Romano more Horas canonicas dicere ac psallere consuevissent, privatum sibi quisque Breviarium conficerent, et illam communionem uni Deo, una et eadem formula preces et laudes adhibendi, dissimillimo inter se, ac pæne cujusque episcopatus proprio Officio discerperent. Hinc illa tam multis in locis divini cultus perturbatio: hinc summa in Clero ignoratio cæremoniarum ac rituum ecclesiasticorum, ut innumerabiles Ecclesiarum ministri, in suo munere indecore, non sine magna piorum offensione, versarentur. Hanc nimirum orandi varietatem gravissime ferens, felicis memoriæ Paulus Papa quartus emendare constituerat. Itaque provisione adhibita, ne ulla in posterum novi Breviarii licentia permitteretur, totam rationem dicendi ac psallendi Horas Canonicas ad pristinum morem et institutum redigendam suscepit. Sed eo postea, nondum iis quæ egregie inchoaverat perfectis, de vita decedente, cum a piæ memoriæ Pio Papa quarto Tridentinum Concilium, antea varie intermissum, revocatum esset, Patres in illa salutari reformatione ab eodem Concilio constituta, Breviarium ex ipsius Pauli Papæ ratione restituere cogitarunt. Itaque quidquid ab eo in sacro opere collectum, elaboratumque fuerat, Concilii Patribus Tridentum a prædicto Pio Papa missum est. Ubi cum doctis quibusdam et piis viris a Concilio datum esset negotium, ut ad reliquam cogitationem, Breviarii quoque curam adjungerent, instante jam conclusione Concilii, tota res ad auctoritatem judiciumque Romani Pontificis ex decreto ejusdem Concilii relata est: qui illis ipsis Patribus ad